

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Antichristus c
cum fonte primo

Mille anni duobus modis possunt quantum michi occurrit intelligi. Aut quia in ultimis annis mille res agitur, id est in sexto annorum miliario tanquam sexto die cuius nunc spatia posteriora uoluuntur. Secuturo deinde sabbato quod non habet uesperam, scilicet requie sanctorum que non habet finem, ut huius miliarii tanquam diei nouissimam partem que remanebat usque ad terminum seculi, mille annos appellauerit,

aut certe mille annis pro annis omnibus huius seculi posuit ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo. Millenarius quippe numerus denarii numeri quadratum solidum reddit, scilicet decies decem

decies.

Augustinus ibidem (XX. de ciuitate Dei) capitulo VII.

Mille autem anni duobus modis possunt, quantum mihi occurrit, intelligi: aut quia in ultimis annis mille ista res agitur, id est sexto annorum miliario tanquam sexto die, cuius nunc spatia posteriora uoluuntur, secuturo deinde sabbato, quod non habet uesperam, requie scilicet sanctorum, quae non habet finem, ut huius miliarii tanquam diei nouissimam partem, quae remanebat usque ad terminum saeculi, mille annos appellauerit eo loquendi modo, quo pars significatur a toto; aut certe mille annos pro annis omnibus huius saeculi posuit, ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo. Millenarius quippe numerus denarii numeri quadratum solidum reddit. Decem quippe deciens ducta fiunt centum, quae iam figura quadrata, sed plana est; ut autem in altitudinem surgat et solida fiat, rursus centum deciens multiplicantur, et mille sunt.

Augustinus Hipponensis, *De ciuitate Dei*, 20.7 (CCSL 48, B. Dombart ed., p.710, ll.55-70).